Morbio 26 (110)

Clemens episcopus servus servorum dei Dilecto filio Vicario venerabilis fratris nostri Episcopi Papien. in spiritualibus generali Salutem et apostolicam benedictionem.
Sedes apostolica pia mater recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate filijs libenter se propitiam prebet ac benignam. Exhibita siquidem nobis
nuper pro parte dilecti filij Florij Moracavalli clerici Papien. petitio continebat quod cum de anno domini Millesimo quingentesimo nonagesimo quinto
orta esset rixa in Gimnasio Papien. inter Scholares Papien. ex una et Mediolanen. partibus ex altera ad evitanda scandala dilectus filius Pretor
Civitatis Papien. fecit preceptum cuidam ex Scholaribus Papien. predictis sub pena capitis ut a dicta Civitate recederet infra unum diem, quem recedentem
comitabantur nonnulli inter quos aderat dictus Florius etiam, per viam incidenter obviam haberet quondam Balthassarem Aresinum et alios Scholares
armatos Archibusijs qui in dicta Civitate eas exploserunt et versa vice duo ex illis qui cum dictis Scholaribus Papien. erant archibusia sua in dictum
Balthasarem laxarunt qui ea de causa ex hac vita migravit, dictus vero Florius alium in altero humerorum vulneravit qui paucis ab illinc diebus absque
deformitate sue persone convaluit. Quapropter delinquentes predicti per sententiam fuerunt in penam ultimi supplicij condenati nonnulli alij in certos fines
relegati, dictus vero Florius uti minus nocens a loci Ordinario fuit per Quinquennium extra dioc. Papien. simpliciter condenatus. Quare pro parte dicti
Florij nobis fuit humiliter supplicatum ut eius sibi statuique suo in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes
quod dicte sedis clementia gremium sue pietatis veniam petentibus claudere non consuevit ac volentes dictum Florium asserentem se in minoribus
ordinibus constitutum existere alias apud nos de vite ac morum honestate alijsque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum horum
intuitu favore prosequi gratioso ipsumque Florium a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti alijsque ecclesiasticis sententijs censuris et penis a iure vel ab
homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie
absolventes et absolutum fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati Discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus verificatis primo coram
te supranarratis et habita pace vel servato per eundem Florium exilio a Civitate et dioc. predictis donec illam habuerit ac imposita ei dicto Florio aliqua
penitentia salutari eundem Florium si hoc a te humiliter petierit ab excessibus huiusmodi auctoritate nostra absolvas in forma ecclesie consueta necnon cum eodem
Florio super irregularitate quam premissorum occasione incurrit, quodque clericali charactere quo alias rite insignitus fuit illiusque privilegijs ac dictis ordinibus
necnon ad omnes sacros et presbyteratus ordines promoveri et promotus in illis et in altaris ministerio ministrare libere et licite valeat dicta auctoritate
dispenses. Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrarijs quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum
Anno Incarnationis dominice Millesimo septingentesimo Nono Kl. Novembris, Pontificatus nostri Anno Nono

Feb: J. Alex. Scag. ...
Jo: Jac. Caffarinus

A. Sertinus pro sigill.

Jo. C. Att. ...

Expedit sine tria anni ... et ... H. Turrianus

Sta

lib.° p.° fol. 190

1680
Oct. 24

Morbio 26 (110)